

tudo et praxis (uti testantur doctores citati) quæ est optima legum interpret, c. *Cum dilectus*. 8. de *Consuetud.* et l. 137. ff. de *Legib.* ergo.

195. *Solvitur instantia.* — Nec obstat, si objicias contra dictas conclusiones, quemvis judicem cognoscere posse, utrum sua sit jurisdictio necne, l. *Si quis ex alieno*. ff. de *Judiciis*. ibi: «Prætoris est æstimare an sua sit jurisdictio,» consequenter etiam judicem laicum cognoscere posse, an iocus v. g. sit religiosus necne consequenter an reus gaudeat asylo? ergo. Resp. enim objectionem procedere cæteris paribus, quando nempe causa et materia est profana, iudicesque profani, qui utique cognoscere valent, ad quem ex eis jurisdictio pertineat. Secus est, quando causa est ecclesiastica, qualis est immunitas asyli per dicta supra. Dices: Nemo potest esse iudex in propria causa; l. *Unica*. c. *Ne quis in causa*; atqui causa immunitatis censetur esse propria ipsius iudicis ecclesiastici; ergo. Resp. concessa major, negando min. quia «palam est, eam esse causam propriam, cujus emolumentum, vel damnum ad aliquem suo nomine pertinet,» ut dicitur can. *Biduum*. 9. § *Si quis*. ca. 2. q. 6. quod non verificatur in ipso prælato ecclesiastico, cum nec ad commodum ipsius promovendum, nec præjudicium ejus evitandum, sed præcise ob reverentiam, et venerationem loci sacri sit introducta, ita ut personæ prælati ecclesiastici nec seratur, nec metatur, si violatur, aut servatur immunitas asyli, consequenter, sicut in aliis causis ecclesiasticis excluso iudice sæculari private cognoscere potest, ita et in causa immunitatis juxta Glossam communiter receptam, can. *Si quis erga*. § *Privetur*. cau. 2. q. 7. Alias objectiones non pono, quia sententia contraria jam est deserta.

196. *Prælati episcopo inferiores in dubio judicialiter non possunt cognoscere.* — Porro judicialis cognitio in dubio immunitatis casu ita private pertinet ad solum episcopum, et ejus vicarium generalem, ut non tantum excludatur omnis iudex et prælatus ecclesiasticus episcopo inferior, idque non tam ex ratione, quam ex speciali dispositione Bullæ Gregorianæ, § 4. et 5. cujus textum vide n. 194. Hinc licet prælatus episcopo inferior possit reos extradere, vel repellere, quando eos crimen exceptum iudicio suo commisisse clare videtur, » juxta dicta n. 180. arg. § 3. citatæ Bullæ Gregorianæ, et

can. *Ad episcopos*. 11. cau. 17. q. 4. Id tamen non potest causa existente dubia, ac controversa, prout ex n. 194. citatis textibus communiter advertunt doctores, quos vide apud Barbosam, lib. II. *Jur. Eccles. univ.* cap. III. n. 157.

Limitant hoc aliqui in vicario capitulari Sede vacante. Diana, p. VI, tract. I, resolut. 30, q. 1; Peregrinus, de *Immunitat.* cap. III, n. 33, et seqq. et alii, quorum sententiam, si jus commune spectes, omnino probabilis apparet, eo quod capitalium, ejusque vicarius capitularis Sede vacante exercere possit omnem jurisdictionem episcopalem tam in temporalibus, quam in spiritualibus, nisi specialiter prohibita reperiatur, arg. c. *His, quæ pro ecclesia*. 11, et c. *Cum olim*. 14. de *Majorit. et obedient.* Verum Barbosa, loc. cit.; Marius Ital. de *Immunitat.* lib. I, cap. LXI, a. n. 37; Sperellus, dec. 31, n. 8, contrarium defendunt, assertque Sperellus pro hoc sententiam sacræ Congregationis cardinalium in Conversana 15 februarii 1663, eo quod Gregorius XIV, in sua bulla hanc causæ cognitionem specialiter excepisse videatur, dicendo § 4. «Quod requiratur expressa licentia episcopi, vel ejus officialis, id est, vicarii generalis, et ad hos, et non ad alios pertineat:» quæ doctrina videtur bullæ Gregorianæ conformior, et ob decisionem cardinalium merito tenenda.

197. *Extra judicialiter, ac pro informatione etiam iudex sæcularis cognoscit.* — Dicitur est autem sæpius «cognitio judicialis,» quia extrajudicialiter, et pro capienda notitia ac specie facti, faciendaque informatione convenienti, non tantum episcopo inferiores prælati, sed etiam iudices laici cognoscere possunt, ut fatentur omnes, eo quod per hoc immunitas nec in minimo violetur, præsertim cum episcopus non teneatur stare tali informationi, cognitioni, aut processui extrajudiciali.

198. *Episcopus non tenetur nec potest stare processui, aut informationi a iudice laico facto.* — Imo etsi inferior episcopo, vel iudex sæcularis ordinatum formaret processum judicialem, eumque episcopo communicaret, nec teneretur, nec posset episcopus eidem stare, sed deberet nihilominus novum formare. Farinacius, lib. I, consil. 76, n. 1, et in append. de *Immunit.* cap. XXII, n. 373, citans Ambros. de *Immunit.* cap. XI, n. 2 et 3; Marius Ital. de *Immunitat.* lib. I, cap. VI, § 1, n. 79; Diana, p. VI, tract. I, resolut. 31,

consil. 2, n. 2, § *Dixi autem*. Cum enim in dubio casu fieri debeat vera judicialis cognitio, per dicenda n. seq. hæc autem ab alio quam episcopo fieri nequeat, juxta bullam Gregorianam, et facta non subsistat, arg. l. fin. et *Tot. lit. c. Si a non competent. iudic.* consequens est, quod non obstante processu ab aliis potestate carentibus fabricato episcopus alium formare possit ac debeat. Ut proin processus a prælatis episcopo inferioribus, vel a iudice sæculari facti, ad nihil serviant, quam ad simpliciter informandum episcopum, et ut sciant, ad interea, donec causa decidatur, custodia, et carceratio rei assumenda, vel admittenda sit. Quod intellige in casu, quo a præfatis fit processus, dum reus actu jam est in loco asyli: si enim antequam illic veniat, processus aliquis a legitimo iudice, sive ecclesiastico episcopo inferiore, sive a laico fiat, non super eo, an gaudeat immunitate nec ne? sed de ipsa facti specie, eidem utpote legitime facto, et formato omnino stare, eoque pro decisione, an reus gaudeat asylo uti potest episcopus, uti habes apud Diamam, p. VI, tract. I, resolut. 31, consil. 2, § *Quam ob rem*. cui etiam favet Farinacius, in append. de *Immunit.* loc. cit. n. 375, et alii, eo quod acta coram iudice sæculari legitime facta etiam in iudicio ecclesiastico probent, arg. c. fin. de *Exception.* in 6.

199. *Ut episcopus decidere possit aliquem non gaudere asylo, debet judicialiter, et certo constare de crimine excepto commisso.* — Resp. II. Ad hoc, ut episcopus reum ob crimen exceptum possit curiæ sæculari plene tradere, ejusdemque dispositioni, ac punitioni relinquere, debet ei prius iudice, legitime ac plene per concludentes probationes constare, delictum exceptum ab eo fuisse commissum, ut proin non sufficiant indicia, præsumptiones, multo minus semiplenæ probationes. Farinacius, lib. I, consil. 76, a n. 3, et consil. 168, a n. 8, et in append. loc. cit. n. 374; Ambrosin. loc. cit. n. 4; Marius Ital. loc. cit. n. 8; Pignatell. tom. IX, consult. 22, n. 28; Diana, ubi supra § *Vidisti, amice lector*; Haunoldus, tom. VI, tract. I, n. 268, ubi pro conclusione allegat declarationem cardinalium; et communissima aliorum, id probantium potissime ex bulla Gregorii XIV, § 5, ubi ad tradendum prærequiritur, ut constet episcopo, an vere commiserit delictum exceptum: nam ad hoc ut vere constet, debent adesse veræ

probationes, id est, per quas certo ac indubitato constat, ut docet Innocentius in c. *Cum causa. de Juram. column.* Confirmatur I. Quia quando lex probationem requirit, uti hic facit, ordinarie intelligenda est de probatione plena ac concludente, uti bene advertit Farinacius, cit. consil. 76, n. 5, arg. l. *Non omnes*, ff. de *Re militar.* Confirmatur II. Prævia cognitio et probatio de crimine ad tradendum reum requiritur. I. conditio, ibi: «Nisi cognitio prius;» ergo necessario requiritur, arg. l. *Lucius*, et ibi Bart. ff. de *Condit. ac demonstr.* Accedit, quod reus sit in possessione immunitatis, a qua quis non potest deici per conjecturas, aut præsumptiones, sed per probationes plenas, juxta vulgaria: ergo. Porro ut episcopus debitam ac legitimam cognitionem acquirat, debet citare ecclesiam, seu ejus fiscalem, atque ipsum reum. Farinacius, cit. consil. 168, n. 39, et seq. ubi citat plures alios, et in append. loc. cit. n. 376; Haunoldus, loc. cit. n. 271. Et quidem de fiscali ecclesiæ res difficultate caret, et conveniunt doctores quia agitur de ecclesiæ præjudicio consequenter audienda erit, arg. l. *de Unoquoque*. ff. de *Re jud.* et l. *Nam ita divus*. ff. de *Adopt.* cum concordantiis. De reo autem, quia de ejus quoque præjudicio saltem indirecte agitur; licet enim immunitas non ipsis reis, sed locis sacris sit concessa, tamen in ipsis suum effectum consequitur, ita ut ipsi ratione immunitatem habeant, et habere dicantur, arg. c. *Inter alia*. h. t. et l. *Præsenti*. c. de *His, qui ad eccles. confug.* et can. *Frater*. cau. 17, q. 4. Cæterum quamvis, uti dictum, requiratur plena, ac concludens probatio, tamen sufficit ad eam habendam, si episcopus summarie procedit, nec necessaria est libelli oblatio, neque litis contestatio, uti doctores citati bene observant.

200. *Episcopus, quando certo constat de crimine commisso, sed dubitatur, an sit exceptum debet judicare pro immunitate, idem debet facere in conflictu doctorum.* — Resp. III. In dubio, an delictum commissum sit unum de exceptis necne? et universaliter in dubio, ac in conflictu doctorum, an reus asylo gaudeat, vel non? Episcopus pronuntiare debet pro immunitate, seu quod reus gaudeat Pignatell. tom. IX, consult. 22, n. 8, citans Turrecrem. in can. *Si quis in atrio*. 17, q. 4; Decian. consil. 80, n. 22; Diana, p. V, tract. I, resolut. 23, ac communissima alio-



rum. Ratio est, tum quia « in dubio potius favendum est reo, » reg. 11, jur. in 6; tum quia universaliter in dubio, ac conflictu opinionum semper illa eligenda, ac tenenda est, quæ magis favet ecclesiæ, ejusque immunitati, uti cum aliis citati docent doctores inter quos Diana, p. V, tract. I, resolut. 23, citans Antonium Sousa in *Bulla Cœnæ*, cap. XIV, disp. 76, n. 5, ait non esse attendendam opinionem communem (multo minus unius, vel alterius) si contraria opinio favet ecclesiæ. His adde Jason, in l. *Filiusfamilias*. § *Divi*, ff. de *Legat.* 1, n. 82, ubi ait in dubiis opinionibus consulendo et judicando, eam esse tenendam, quæ favet ecclesiæ. Ita etiam tenuit Rota, quam loc. cit. allegat Diana, qui p. VI, tract. I, resolut. 3, ad finem etiam subjungit: « Advertant episcopi, quod, si tradant reos curiæ sæculari in casu, quo debent gaudere immunitate, præter peccatum, et obligationem damnorum, si reus esset ad mortem damnatus, incurere irregularitatem. »

Verum conclusio n. præced. posita, limitanda videtur in casu, quo controvertentibus doctoribus opinio immunitati contraria est, et apparet revera probabilior, ac juri conformior, uti docere videtur Pignatell. tom. I, consult. 48, n. 6. Ratio est, quia doctores communiter tantum ducunt in dubio, non item absolute in opinionibus eligendam esse opinionem faventem ecclesiæ; sive tunc quando rationes et fundamenta opinionum inter se ita militant, ut nesciatur, quæ opinio revera sit probabilior, consequenter dubium existat positivum: non item, quando ex rationibus et fundamentis satis apparet, unam revera esse probabilior, juri que magis conformem, eisi altera adhuc probabilior appareat: tunc enim episcopus probabilior eligere bene potest, etsi contraria sit immunitati, eo quod tunc non amplius adsit dubium. Porro in causis arduis optimum erit, si emergente casu dubio consulatur Romana Sedes, uti supra jam notavimus, et etiam Pignatell. observat loc. cit. n. 7, et alii.

201. *Si certo constat, debet reum tradere non obstante appellatione.* — Resp. IV. Quando episcopus examinata causa certo cognoscit, reum non gaudere asylo, debet eum tradere curiæ sæculari, etiamsi reus, vel fiscalis ecclesiæ appellet. Communis ac certa ob clarum bullæ textum § 5, ibi: « Tunc de mandato episcopi per judicem

ecclesiasticum curiæ sæculari, quacunque appellatione proposita consignentur. » Accedit repetita declaratio sacræ Congregationis apud Jacob. Pignatell. tom. II, consult. 16, a n. 13.

202. *Judex sæcularis gravatum se sentiens, an possit appellare, ac petere, ut interea reus bene custodiatur.* — Porro sicut denegatur reo appellatio, ita etiam denegatur fisco, vel actori, ac potestati sæculari. Diana, p. VI, tract. I, § *Quinto quod*, citans Sperell. decis. 65, n. 2, et seqq.; Peregrin. de *Immunit.* cap. XVI, n. 23, contra Bonacinam, tom. II, disp. 3, q. 7, punc. 7, n. 11. Ratio est, ut in judicio servetur æqualitas: quæ si servanda non esset, potius ad rei, quam actoris favorem deberet fieri; quia « favorabiliores rei potius, quam actores habentur, » l. *Favorabiliores*, 168, ff. de *Reg. jur.* Accedunt repetitæ declarationes cardinalium, quas citat Diana, loc. cit. ac etiam Jacob. Pignatell. loc. cit. n. 25. « Appellatio per constitutionem Gregorii XIV, de violatione immunitatis ecclesiasticæ prohibita reo a sententia de tradendo illum curiæ sæculari, etiam censetur denegato fisco, vel actori, si episcopus pronuntiet, reum ecclesiæ restituendum esse, sacra Congregatio 6 junii 1629 et 1644, et n. 17. Appellatio non datur a declaratione episcopi, an quis gaudere debeat immunitate; in Niceniens. 12 januar. 1649. » Limitat tamen merito Diana hanc doctrinam in casu, quo sententia episcopi esset notorie iniqua: quia clausula « remota appellatione » nunquam prohibet appellationem a sententia iniqua, prout cum aliis bene docet Scavia, de *Appellat.* lib. III, cap. II, q. 16, limit. 1, n. 81, unde in tali casu tam reo, quam actori liceret appellare. Idem liceret reo, si eo inaudito episcopus decideret, eum non gaudere immunitate. Diana, ibid. citans Zypæum, lib. III, tit. de *Immunit. eccles.* concl. 3.

### § VIII.

DE MALE EXTRACTORUM. AUT EXTRADITORUM RESTITUTIONE: UBI DE ALIIS PŒNIS VIOLANTIIUM JUS ASYLI: ET ABSOLUTIONE AB IISDEM.

Notandum prius, plures esse utroque jure statutas pœnas in violantes immunitatem, inter quas, quia doctores communiter etiam numerant extractionem, ideo de illa et cæteris pœnis eodem paragrapho hic agimus.

203. *Vi extractus absque licentia episcopi debet iterum restitui.* — Queritur I. An, a quo, cui, et quomodo restituendus sit male extractus, aut extraditus? Resp. I. Vi extractus ab ecclesia, a loco asyli loco, omnino restituendus est iterum loco sacro una cum omnibus bonis inde abstractis. Farinacius in appendice. de *Immunit.* cap. II, n. 48, et seqq.; Anchoranus, in c. *Inter alia*, h. t. n. 5, et ibi Fagnanus, n. 40; Barbosa, *Jur. Eccles. univ.* lib. II, cap. III, n. 52; Pignatell. tom. I, consult. 172; Tuschus, §. *Ecclesia*, concl. 10, n. 20; Pirhing, h. t. n. 51, cum communi, et certa aliorum, arg. can. *Mirror.* 8, cau. 17, q. 4, ibi: « Ecclesiæ igitur revoca, quæ irreligiosissimi rapuisti. » et can. *Sicut antiquitus*, 6, ead. cau. et q. ubi excommunicari jubetur « qui personam hominis vel bona ejus (e loco asyli) subtraxerit, quousque emendet et quod rapuerit, reddat. » Ratio desumitur ex illa generali regula, quod spoliatus ante omnia sit restituendus arg. c. *Item*, 6, et c. *Conquerente*, 7, de *Restit. spoliat.* Nec cessat, neque suspenditur restituendi obligatio, si judex sæcularis velit præstare juramentum, ac sufficientem cautionem de non infligenda pœna mortis, aut alia corporali. Farinacius, loc. cit.; Sylvester, §. *Immunitas*, 3, n. 11; Abbas, loc. cit.; Covarruvias, lib. II, *Variar. resolut.* cap. XX, n. 6, ob dictam rationem, quia ecclesia spoliata, ante omnia est restituenda, eique ob injuriam illatam satisfactio præstanda, quæ per solam actualem restitutionem fit per jura citata.

204. *Etsi notorie constet, reum commisisse crimen exceptum.* — Procedit conclusio, etiamsi judex sæcularis se offerat ad probandum, delictum esse exceptum, imo etsi hoc re ipsa probet, vel notorie constet reum commisisse delictum exceptum. Diana, p. I, tract. I, resolut. 14; Farinacius, loc. cit. n. 51, citans Marium Ital. de *Immunit.* lib. I, cap. VI, § 2, n. 23, et alios, idque hodie certum est ex bulla Gregorii XIV, ubi § 4, expresse prohibetur, ne quis etiam in casibus exceptis sine speciali licentia episcopi extrahatur, et talis extractio irrita et inanis declaratur. § 9, consequenter etiam in tali casu, restitui debet extractus ob dictam juris regulam, nisi rectores ecclesiæ prius requisiti, criminis excepti reum carcerare, aut tradere recusaverint; prout limitatur et § 4. Hinc si causa deferatur ad episcopum, debet is ante omnia mandare resti-

tutionem, nec potest esse contentus, si judex sæcularis dicat, volo restituere, si reverendissimus examinata causa judicaverit, reum gaudere asylo: sed debet urgere restitutionem per censurarum denuntiationem, quia etiam per talis rei extractionem absque licentia episcopi factam immunitas fuit violata, et ecclesia spoliata, consequenter autem omnia restituenda; quod idem ex eadem ratione servare debet metropolitanus, casu quo judex sæcularis ab episcopo ad eum appellat; ita ut in causa appellationis procedere non possit, minus judicem sæcularem a censuris absolvere, donec restitutio fuerit facta, uti bene observat Farinacius, loc. cit. n. 51, quæ omnia procedunt, sive vi expulsiva, sive compulsiva extrahatur, sive timore cadente in virum constantem per judicem injuste incusso, sive dolo, fraude, aut mendaciis inductus ipsemet exeat, Farinacius ibidem n. 53 et 54, quia etiam in talibus casibus moraliter saltem, et quidem injuste censetur reus extractus.

Imo etsi reus volens e loco sacro extrahatur. Farinacius, ibid. n. 51; Pignatell. ut supra n. 8, eo quod ipse privilegio locali renuntiare non possit per dicta, et declaravit etiam sacra Congregatio apud Jacob. Pignatell. loc. cit. in una Cajacens. 20 novemb. 1640, illis verbis: « Sacra, etc. respondit rescribendum esse vicario, ut faciat restituere oratorem eidem ecclesiæ, a qua fuit extractus, cum non potuerit per renuntiationem ipsius præjudicare ecclesiæ. »

205. *Reus etiam licite extractus, iterum restitui debet, si pro eo judicat episcopus.* — Resp. II. Reus etiam licite extractus, aut extraditus, et in carcerem episcopalem v. g. vel sæcularem, donec causa ab episcopo decidatur, positus restitui debet, quando causa per episcopum examinata reus invenitur gaudere asylo. Diana, p. IV, tract. I, resolut. 34, in fine cum communi et certa aliorum. Ratio patet, quia in tali casu extractio, seu extraditio fit semper cum tacita, vel expressa conditione, ut, si reus invenitur dignus asylo iterum restituatur; consequenter purificata conditione restitui debet. Nec admittitur judicis appellatio juxta dicta n. 202.

206. *Et quidem eidem ecclesiæ, vel loco, a quo fuit extractus.* — Resp. III. Quando reus vi, aut injusto timore, fraude, vel dolo per judicem commissio extrahitur, aut educitur, debet restitui eidem ecclesiæ, seu loco